

THESES PRIMA.

DE Elementis acturi, non accipimus vocem in impropria illa significatione, quâ rudimenta & prima præcepta cuiusq; artis elementa dicuntur; neq; etiam pro quovis compositionis principio, quo sensu literæ dictionum, Materia & Forma corporum naturalium Elementa dicuntur; Sed in significatione specialiori, pro materia & principiis non primis, sed secundis, corporum non omnium, sed mistorum.

Th. 2. Dicuntur autem Elementa (ut putant) quasi Alimenta, quia ut ex iis constamus, ita iisdem nutrimur.

Th. 3. Græcis dicuntur *σοιχῆαι*, *αἴρετο σείχειν*, quod omnia mista videlicet corpora, certo ordine ex iis prodeant & exoriantur. Hebræis יִסְרָאֵל à radice יִסְרָא fundavit, quia quasi fundamenta sunt corporū mistorum, eorumdemq; affectionum; Syris נַעֲמָב סָתָב à radice טְכַט ordinavit, quia certo ordine mundi integratatem constituunt, mistorumq; constitutionem ingrediuntur: vel ut aliis placet à Græco *σοιχηον*. Arabibus سَتْكَمَة à radice سَنَد surrexit; quod ex iis exurgant mista omnia; item أَرْبَعَةَ à radice رَبْعٌ ob numerum quaternarium quasi dicas quatuor corpora.

Th. 4. Definitionem Elementorum quod attinet, nō una ab omnibus adferri solet, Arist. l. 3. de cœlo. t. 32. Elementa definit quod sint, in quæ cætera corpora dividuntur, in quibus sunt actu vel potentia. Genus quidem omittit, sed facile supplendum: Corpus, nempe, naturale simplex: Si enim tale corpus est Elementū, in quod cætera corpora resolvuntur, ipsum ex aliis corporibus compositum non

Az

*illa definitionis probatio
cetera corpora resolvuntur
dijerunt ad removendum
corrum, quicet sit corp. g.
simplex & non in infinito
sit alia corpora resolvuntur
stier.*